



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Arbor Vitæ Sive Vita Et Doctrina Christi

Ex Quatuor Evangeliiis In Meditationes Quotidianas Velvti Totidem Ramos
Distributa

Illsung, Jakob

Dilingæ, 1693

Meditatio CCCCXV. Continuatio Ejusdem Parabolæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60727](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60727)

(quando nempe omnes somnus mortis oppressit, & Angeli tubis cecinerunt: Surgite Mortui, venite ad Judicium) *Ecce Sponsus venit: exite obviam ei.* Matth. 25. v. 6. Considera, hujusmodi clamorem non tantum fieri ante Judicium Universale, sed etiam ante Judicium Particulare. Quotiescunque enim tibi ingeritur memoria Mortis, & Judicij Particularis, toties fit clamor: *Ecce Sponsus venit.* Exire autem obviam ei, idem est, ac ad Mortem & Judicium promptum & paratum procedere. Itaque cum Prudentibus Virginibus exi obviam Ei.

MEDITATIO CCCCXV.

Continuatio Eiusdem Parabola.

Matth. 25.

PUNCTUM I. *Tunc surrexerunt omnes Virgines illae, & ornauerunt lampades suas* (id est, Animas suas resumptis corporibus in Resurrectione) *faruæ autem Sapientibus dixerunt: Date nobis de oleo vestro, quia lampades nostræ extinguuntur.* à v. 7. Sine oleo enim Gratia Justificantis (ad quam alludit S. Paulus 2. Cor. 1. v. 21. inquit: *Qui unxit nos DEVS, qui & signavit nos, & dedit pignus Spiritus in Cordibus nostris*) Fides & Opera Bona sunt veluti lychnus, qui modò extinguitur. Unde illorum lampades extinguuntur, quorum Animæ Fidem quidem & quædam Opera Bona habent, sed Gratiam non habent. Esto ergo velut Lucerna ardens & lucens, in qua Fides & Opera Bona oleo Gratia nutriuntur, & splendorem ac æstimationem eorum Deo accipiunt. Illorum etiam lampades extinguuntur.

E e 5

tinguun-

tinguuntur, qui pro Bonis suis Operibus, intentione vanæ gloriæ peractis, in hac vita receperunt mercedem suam, oleum & operam perdentes. Ideo S. Gregor. Homil. 12. in Evang. inquit: *Ecce enim Redemptoris voce decem Virgines, & omnes dicuntur Virgines, & tamen intra Beatitudinis januam non omnes sunt receptæ: quia earum quædam, dum de Virginitate sua gloriam foris expetunt, in vasis suis oleum habere noluerunt.*

PUNCT. II. *Responderunt Prudentes, dicentes: Ne fortè non sufficiat nobis, & vobis, ite potiùs ad vendentes, & emite vobis. Dum autem irent emere, venit Sponsus: & quæ paratæ erant, intra verunt cum eo ad Nuptias, & clausa est janua, v. 9. Considera, quidquid olei aut Gratiæ Sanctificantis in hac vita tibi comparare neglexeris, in altera neque per alienam liberalitatem, neque per propriam diligentiam, neque per Divinam Misericordiam reparari posse. Itaque noli in alienis Meritis, Patrocinio, Satisfactione, vel Suffragijs pro Defuncto persolvendis, confidere; noli Pænitentiam, & Bonorum Operum studium differre; nisi enim bene agere velis, cum poteris, non poteris, cum voles. Noli de Divina Misericordia præsumere; sed ad eam accede, quando aperta est janua, non cum jam est clausa.*

PUNCT. III. *Novissimè verò veniunt & reliquæ Virgines, dicentes: Domine, Domine, aperi nobis. At ille respondens, ait: Amen dico vobis: Nescio vos. v. 11. Ecce non sufficit, verbis Dominum profiteri, sed ut id ipsum factis præstemus, necesse est. Unde, qui eum factis negant, vicissim ignorantur, & non agnoscuntur pro Servis à Domino. Meritò etiam illi clausa janua non aperitur, qui Deo ostium Cordis sui sæpe occlusit, &*

& stanti ante ostium, ac pulsanti non aperuit. Tu ergo, quandoquidem sæpe clamantem audis: *Aperi mihi Soror mea, Amica mea, Columba mea, Immaculata mea, quia Caput meum plenum est rore, & Cincinni mei guttis noctium.* Cant. 5. v. 2. Fac, ut dicere possis: *Surrexi, ut aperirem Dilecto meo, &c. Pessulum ostij mei aperui Dilecto meo &c. v. 5. & 6.*

MEDITATIO CCCCXVI.

Parabola de Divisione Talentorum.

Matth. 25. v. 14.

PUNCTUM I. Sicut homo peregrè proficiscens, vocavit servos suos, & tradidit illis bona sua. Considera, quomodo DEVS etiam te vocaverit, quàm suaviter, quàm efficaciter, & quanta tibi Bona tradiderit, id est, Media, & Auxilia ad ingentia Merita, ac Lucra Spiritualia tibi comparanda. Expende etiam, quàm liberaliter DEVS Servis suis Bona sua dividat, tribuens singulis, prout vult, non prout obligatur: unde contentus esse debes illis Bonis, quæ tibi tradidit; nec affligi, si quæpiam non tradidit: Dominus enim est, & de suis Bonis disponere potest, prout ipse vult. Unde *Vni dedit quinque Talenta, alij autem duo, alij verò unum, unicuique secundùm propriam Virtutem.* Ex ultimis tamen verbis collige, DEVM in distribuendis suis Bonis attendere Servorum suorum *Propriam Virtutem*, nempe capacitatem, & dignitatem; unde nihil supra vires eorum ipsis committit, & simul etiam fervorum suorum dispositionem ac Merita exigit: quamvis enim primam Gratiam & multa Bona tribuat sine proprijs Meritis,